

8.48.5

*Idem AA. et CC. Syrae.*

A muliere quidem, quae nec suos filios habet in potestate, adrogari non posse certum est. verum quoniam in solacium amissorum tuorum filiorum privignum tuum cupis in vicem legitimae subolis obtinere, adnuimus votis tuis secundum ea, quae adnotavimus, et eum proinde atque ex te progenitum ad fidem naturalis legitimique filii habere permittimus.

*S. prid. non. Dec. Triballis Tiberiano et Dione conss.*

[a. 291]

8.48.6

*Idem AA. et CC. Melino.*

Adrogationes eorum, qui sui iuris sunt, nec in regia urbe nec in provinciis, nisi ex rescripto principali fieri possunt.

*S. IIII non. April. Byzantii AA. conss.*

[a. 293]

8.48.7

*Idem AA. et CC. Attico.*

In adoptionem quidem alienae civitatis civi recte dato additur, non mutatur patria, ac propterea ius originis in honorum ac munerum obsequio per adoptionem non minui perspicis.

*S. XI k. Febr. Sirmi CC. conss.*

[a. 294]

8.48.8

*Idem AA. et CC. Isioni.*

In adoptionem patre, in cuius est potestate, libertae filiam dante, matris patronus adoptare non prohibetur, nam sui iuris adrogatio feminae nisi ex nostro rescripto numquam procedit.

*S. V id. Febr. CC. conss.*

[a. 294]

8.48.9

*Idem AA. et CC. Marciano.*

Adoptatum, licet ex beneficio nostro, emancipatione sollemni separare familia sua pater adoptivus minime prohibetur,

*V k. Nov. Anchiali CC. conss.*

[a. 294]